

PRAEFATIO AV TORIS AD IACO. CURIONEM.



E MINISTRI, Iacobe Curio, dum Annis ab hinc
viginti quatuor, & amplius, in mea esses discipli-
na, mihiq; adeò Domesticus, quantum operæ po-
suerim, primum in demonstrandis cælestium mo-
tuum Theorijs, & ostendendis Tabularum usibus,
Deinde etiam in tradenda Prædictionum doctrina, probabas
cum meam non tantum sedulitatem, sed insuper etiam cum Ap-
pollinari Verentino, fœlicis memorie, communi amico nostro,
uehementer instabas, ut rem Astronomicam suis partibus fu-
sam, latissimeq; patentem, in angustum contraherem. Pollice-
baris ad id laboris tuam mihi in excubendo operam, sperans in-
de scilicet magnam studijs tuis futuram accessionem. Et scio, il-
la te spe non deceptum fuisse, siquidem quando, uestro iam im-
pulsu cōgerere tentasse, quæ iudicabā proponēda esse tibi cæ-
terisq; auditoribus meis, quibus deesse uidebam Astrologicorū
librorum suppellectilem. Et tu collectiones illas nostras digere-
res exciperesq; Disputationis cuiusdam inter nos ferendæ, &
eius quidem assiduæ occasionem inuenisti. Non potuit autem
concertatio tam frequens, tamq; utilis iudicium tibi de rebus,
quas tractabamus, non acuere. Mihi idem hoc operis rudimen-
tum profuit, quod simulatq; à te notis scite esset exceptum, circū
ferre mecum idipsum in peregrinationibus meis poteram. An-
tea cum ad Príncipes crebris itineribus, Motoriam, uti dicitur,
fabulam agerem, non erat unus aliquis liber, qui quæ necessaria
sunt ad Prædictiones, omnia complecteretur. Parato hoc com-
pendio, minimum sarcinæ equis, quibus uehebamur, imposui-
mus. In comitatu dum esses accito mihi ad Danorum Regem,
ultra mare Balthicum, & ad alios postea Cymbrorum Regu-
los,